



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii
Dei**

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio I. Conclusio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

SECTIO I.

Conclusio.

§. 4. **C**erta conclusio est apud omnes Theologos, non potuisse humanitatem Christi ex natura rei mereri Incarnationem, aut vilo opere se ad illam præparare. est tamen gratis controuersia inter Doctores in reddenda eius impotentia ratione.

SECTIO II.

Hac conclusio qui probetur ab aliquibus.

§. 5. **P**asquez disp. 21. c. 6. probat Primùm de operibus solius arbitrii: quia vnio hypostatica non esset gratia, sed merces operum naturalium. Secundò, quia opus bonum non potest intelligi in humanitate, nisi vt infinite placens Deo, ac tunc non erit ex solo arbitrio.

§. 6. Respondeo, vnionem semper fore gratiam in eo euentu: quia nõ daretur pro bono opere naturali vt merito etiam congruo, sed tantùm vt pura conditione, vt dixi §. 1. vt multi Theologi dicunt, *Facienti quod est in se Deus non denegat gratiam*, intelligi etiam de viribus naturæ: non quòd faciens quod est in se ex illius solis viribus, eam mereatur etiam congruè; sed quia remouet prohibens: quia Deus voluit omnino gratis gratia donare bene vtentem arbitrio, sicut potuit velle dare vnionem hypostaticam alicui familia; non quòd esset vllam meritum, sed quia Deus voluit: ita in illorum sententia potuit velle dare gratiam non repugnati per peccatum; sed potius bene vtenti viribus naturæ, non in ratione meriti, sed puræ conditionis.

§. 7. Secundò respondeo: Etiam si illud opus arbitrii esset meritum congruum (de quo non disputo nunc, nec id dico nisi disputandi gratia ad examinandam consequentiam) adhuc vnio esset gratia: quia rem dari intuitu meriti congrui non tollit rationem gratiæ immediatæ in denominatione ipsius rei. Primùm, quia ob bona opera supernaturalia, quæ sunt meritum congruum iustificationis, Deus sæpè iustificat impium, vt propter eleëmofynas eum prouehit ad iustificationem: quæ immediatè est gratia noua distincta à meriti congrui gratia. Secundò, à priori: quia meritum congruum non est simpliciter meritum, sed secundùm quid: vnde quod datur, non est simpliciter præmium, sed secundùm quid; absolutè autem est noua gratia: quia Deus in eo reddendo non considerat quid ille mereatur, sed quid expediat à se ipso fieri superante hominis meritum.

§. 8. Secunda probatio de merito infinito examinabitur §. 10. Admissò tamen antecedente in operibus supernaturalibus, non est consequentia ad naturalia: quia in multorum Theologorum sententia actus naturales non dignificantur gratia habituali ad meritum supernaturale: ob quod bona opera naturalia Christi dignificantur vnione hypostatica ad præmia naturalia sine fine; ad nullum verò supernaturale. ac propterea potest intelligi humanitas dignificata infinite ad præmium naturale pro opere naturali, non verò ad supernatura-

le, quo potuit vtrumque disponi ad vnionem, saltem more puræ conditionis: s. Thom.
q. 2. art. 11.

§. 9. Secundò, id probat de operibus supernaturalibus exercitiis sine gratia habituali: quia omne tale opus eo ipso quòd sit in humanitate re ipsa vnita Verbo, est infinite dignum præmio propter vnionem hypostaticam: ergo vnio non potuit esse eius præmium.

§. 10. Respondeo, opus illud in priori signo rationis præciandi à finitè & infinite valente: quia valor condignus est effectus formæ iustificantis: cum igitur in illo priori non intelligatur forma iustificans, non potest intelligi eius valor. Igitur ante vnionem concipimus humanitatem secundùm se instructam auxilio gratiæ in primo signo rationis: in quo est indifferens ad operandum, & non operandum. tunc non concipitur vt vnita, nec vt carens vnione; sed indifferens ad vtrumque: vt est ad actum supernaturalem, & eius carentiam: & vt potuit componi & cum actu, & cum eius carentia, ita & cum vnione, & eius carentia: quia vnio esset effectus moraliter actus boni; carentia verò vnionis effectus carentiæ actus. viso autem actu à Deo, conferretur vnio in tertio signo posteriori, potuitque cum carentia vnionis actus ille componi. est ergo ille actus indifferens ad vnionem: quia primùm signum est humanitatis in actu primo, secundum operationis in actu secundo, tertium vnionis vt præmium, vel effectus à conditione, vt contingit infinitis in occasionibus.

§. 11. Visa autem vnione superest quæstio, vtrum ille actus prior dignificetur vnione ipsa pro illo instanti reali? Et quidem in omni sententia dicendum est negatiuè respectu ipsius vnionis, & rerum antecedentiũ in primo signo rationis: quia dignitas est ad merendum aliquid de nouo ita conferendum, vt posset non conferri etiam ex suppositione meriti vt condigni: vnio autem separari non potest ab illa condignitate, vt in sententia certa prima gratia iustificans non cadit sub meritum dispositionis vltimæ, cum qua coniungitur: quia illa dispositio non dignificatur gratia habituali ad ipsam gratiam. Qui ergo in Sacramento gratiam cum attritione coniungit, non meretur illam gratiam, licet illa dignificetur ad alia præmia: nec contritio in peccatore dignificatur gratia habituali subsequente ad ipsam, nec ad actum ipsum merendum, nec ad antecedentia.

§. 12. Vtrum autem in eodem instanti reali dignificetur opus per gratiam ad alia præmia distincta realiter à gratia, est alia quæstio. Multi fatentur vltima dispositione ad gratiam cum illa coniunctam, siue in Sacramento, siue extra; nos mereri primam gloriam, & alia præmia subsequenta. In qua opinione consequenter dic, humanitatem illo actu merentem congruè vnionem dignificari vnione ipsa ad alia præmia. Alij autem dicunt gratia sequente meritum non dignificari meritum ad aliquid pro illo primo instanti merendum. Vnde humanitas Christi tunc esset dignificata infinite ad merendum per durationem actus, non verò per primam existentiam.

§. 13. Obijcis: Actus in primo instanti reali est coniunctus cum vnione: ergo est dignificatus. Distinguo antecedens: vnio est coniuncta cum actu, tamquam effectus cum causâ materialiter & in signo posteriori, concedo antecedens; est coniun-